

DIEGO RUIZ DE MONTOYA, S.I.

**Commentarii in materiam de peccatis
(1^a 2^æ, q.88, a.1)**

Edición y notas
Eduardo Moore, S.I.
José I. Terry, S.I

Dubitatur 10^o:

**Utrum peccatum mortale et veniale
differant per ordinem ad ultimum finem.
Ubi an veniale sit tantum circa media
et utrum sit contra charitatem**

CONCLUSIO 1^a: *Praecipua et essentialis differentia peccati mortalis et venialis [f.103v] est peccatum mortale tollere simpliciter ordinem personae ad ultimum finem, at vero peccatum veniale non tollere simpliciter talem ordinem, sed illo manente afferre inordinationem aliquam in actu.* Ita docent communiter Doctores quamvis non eisdem verbis. D. Thomas, q.72, a.5¹ et q.88, a.1 et 2² et sequentibus et q.7 *De malo*, a.1³; Alensis, 2 p, q.113, mem.1, § 3, versus finem et q.124, mem.2⁴; Albertus, 2 p, trac.18, q.114, mem.4, a.1⁵; Durandus, 2, d.41, q.1 ad 2⁶;

¹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.72, a.5 : editio leonina, t.7 18.

² ID., *ibid*: t.7 132b, 135a.

³ ID., *Quaestiones disputatae de malo*, q.7, a.1 : ed.leon., 23 158b.

⁴ ALEXANDER DE HALES, *Summa Theologica*, 1.2, p.2, inquis.3, tr.1, sect.1, q.1, c.2: Quaracchi 1930, t.3, p.286s.

⁵ ALBERTUS MAGNUS, *Summa Theologiae*, 2 p., tr.18, q.114, mem.4, a.1: ed. Vivès, t.33 (1895), p.338b.

⁶ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi*

Richardus, eadem d., a.2, q.2⁷; Conradus, 1^a 2^{ac}, q.88, a.1 et 2⁸, ubi Caietanus⁹ et communiter thomistae cum D. Thoma citato.

Haec conclusio, quod attinet ad mortale solum, satis probata est in dubio 1. Nunc autem quod attinet ad comparationem mortalis peccati cum veniali, probatur ex D. Thoma citato, quia mortale peccatum dicitur translatione sumpta a morte, quae tunc tantum est quando non solum corpus caret debita proportione humorum, sed etiam caret principio vitae scilicet anima; atqui principium totius vitae moralis est finis ultimus; ergo tunc erit mors moralis peccati quando simpliciter tollitur a persona ultimus finis qui est Deus. Et praeterea quando iste finis non tollitur, sed tantum est inordinatio in actu non erit mors, sed tantum morbus moralis. Hic autem est peccatum veniale. Confirmat D. Thomas, quia sicut se habet principium primum indemonstrabile in speculativis, ita se habet finis ultimus in moralibus, ex Aristotele, 7 *Ethicorum*, cap.8¹⁰; ergo sicut principium indemonstrabile est principium et radix cuiusque cognitionis verae, ita finis ultimus est principium cuiusque bonae operationis. Insuper sicut ille qui errat in primis principiis nulla ratione suadibilis est nec potest reduci ad veritatem, quia nihil restat quo illi veritas ostendatur, unde Aristoteles dixit contra negantes principia non esse arguendum, sic etiam ille qui avertitur simpliciter ab ultimo fine nihil habet quo reducat ad ordinem, unde in hoc etiam convenit cum morte peccatum mortale quia, quod in se est, reparari non potest viribus existentibus in homine; at vero veniale reparari potest, quia manet principium et finis, sicut error contingens in conclusionibus

Commentariorum libri quatuor, 2, d.41, q.1: Amberes 1566, fol.199v.

⁷ RICARDUS A MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum Petri Lombardi Quaestiones subtilissimae*, 2, d.42, a.2, q.2 : Brixiae 1591, p.512a.

⁸ CONRADUS KOELLIN, *OP, Expositio Commentaria... in Primam Secundae... S. Thomae Aquinatis*, q.88, a.1 : Venecia 1589, p.698b.

⁹ THOMAS A VIU, *Commentarii in Summa Sti. Thomae Aq.*, 1.2., q.88, a.1: ed. leon. *operum Sti. Thomae* 7 133s.

¹⁰ ARISTOTELES, *Ethica ad Nicomachum*, l.6, c.4: Aristoteles latinus, 26 1/3, Bruselas - Leiden, Desclée de Brouwer - E.J. Brill, 1973, p.481s.

reparari potest per principia et sicut morbus reparari potest per animam et per humidum radicale et calorem naturalem.

SED DICES: ille qui errat circa principia reparari potest si iterum ipse diligentius intuens principium et melius apprehendens extrema assentitur illi; ergo ille qui avertitur ab ultimo fine reparari potest si mutet decretum et amet ultimum finem prae omnibus; ergo peccatum mortale non est irreparabile eo quod simpli[f.104]citer avertat ab ultimo fine. RESPONDEO negando primam consequentiam: Licet enim ordo ad ultimum finem conveniat cum assensu principiorum in iis quae nuper dicta sunt, nihilominus valde differt, quia ex errore actuali circa principia, quamvis relinqui possit habitus in intellectu de quo non curo, nihilominus non relinquitur in persona habitualis deordinatio circa principia; et ideo malum quod intulit error circa principia sufficientissime resarcitur si postea succedat certus et evidens assensus principiorum; at vero ex peccato mortali actuali relinquitur in persona habitualis deordinatio circa finem, quae est reatus peccati, ut dicitur q.86¹¹, et quamdiu manet persona sic inordinata et inimica ultimi finis scilicet Dei, nihil prosunt omnes actiones illius, quamvis amet Deum super omnia amore naturali, ut reducatur persona in gratiam et rectitudinem cum ultimo fine. Nam opera facta ab inimico et a persona inordinata habitualiter nihil reputantur coram Deo. Unde D. Thomas ex inordinatione habituali personae circa ultimum finem, quam intulit actus peccati mortalis, optime infert impotentiam redeundi ad gratiam et rectitudinem humanis viribus.

Cum doctrina huius conclusionis consonant alii qui sic expli- cant distinctionem venialis a mortali, quia qui peccat venialiter adhaeret creaturae plus quam debet, sed non quasi ultimo fini personae; at vero mortale adhaeret creaturae quasi partiali ultimo fini personae, praeponendo illam Deo. Ita fere Albertus, 2 p, trac.18, q.114, mem.138¹² et, ex Augustino, Altisiodorensis, lib.2

¹¹ No conocemos este comentario.

¹² ALBERTUS MAGNUS, *Summa Theologiae*, 2 p., tr.18, q.114, mem.1 : ed.

Summae, trac.18, cap.2, in quaest. de distinctione mortalis a veniali¹³.

Excipe tamen veniale quod solo defectu libertatis est veniale, et alias esset mortale; hoc enim anteponebat creaturam Deo, ut infra, dubio 15.

Hinc solvitur alia quaestio: utrum veniale distinguatur a mortali, quia mortale deordinationem affert ab ultimo fine; at vero veniale continet deordinationem solummodo circa media. Affirmat expresse D. Thomas, q.87, a.5 ad 1¹⁴ et q.88, a.5, corpore¹⁵ et innuit in hoc a.1¹⁶ ubi hoc docet Conradus¹⁷ et Caietanus, dubio 1¹⁸, nec contradicit sibi Caietanus, supra, q.72, a.5¹⁹ si bene inspiciatur. Favet D. Bernardus, *De praecepto et dispensatione*, col.5²⁰ dum probat quorundam mandatorum transgressionem, secluso contemptu venialem esse [f.104v] quia media sunt non admodum necessaria. Sed licet id probet tale peccatum esse veniale ex genere, non tamen inde colligitur omne veniale esse circa media minus necessaria, nec probat mortale non esse circa media. Et D. Thomae sententia accipienda est ac si diceret peccatum mortale deordinare personam simpliciter ab ultimo fine, non vero peccatum veniale, ut in 1^a conclusione explicatum est;

Vivès t.33 (1895), p.332.

¹³ MAGISTER GUILLELMUS ALTISSIODORENSIS, *Summa Aurea*, lib.2, tom.2, tract.15, c.3, q.1 : Ed. Paris - Roma (Quaracchi) 1982, p.536.

¹⁴ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^e, q. 87, a.5 ad 1: ed.leon., 7, 126b.

¹⁵ ID., *Ibid.*, q.88, a.5c: ed. c. 7 182b 183a.

¹⁶ ID., *Ibid.*, q.88, a.1: ed. c. 7 132.

¹⁷ CONRADUS KOELLIN, OP, *Expositio Commentaria... in Primam Secundae S. Thomae Aquinatis*, q.88, a.1: Venecia 1589, p.698b.

¹⁸ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summa Sancti Thomae*, 1^a 2^e, q.88, a.5, dub.1: ed. leon. *Operum Sancti Thomae*, 7 133s.

¹⁹ ID., *Ibid.*, q.72, a.5: ed.c., 7 18.

²⁰ BERNARDUS, *De praecepto et dispensatione*, 7, 14: ed. Cistercienses t.3, p.263; PL 182 867.

etenim nullo modo negare potuit D. Thomas sequentes conclusiones quae et veritati et illius doctrinae valde consonant.

Sit ergo 2^a CONCLUSIO: *Tam peccatum mortale quam veniale possunt habere actualem deordinationem a fine et a mediis.* Ita docet Scotus, 2, d.21, q.1²¹; Richardus, 4, d.6, a.2, q.2²²; Gabriel, 2, d.22, q.1, col. penultima²³; Vega, 14 *In Tridentinum*, cap.12²⁴. Et probant, quia omnia peccata quae sunt inordinata contra finem, ut infidelitas, odium Dei, contemptus Dei et similia, possunt esse venialia si fiant sine plena deliberatione, cum libertate secundum quid; et praeterea non minus est circa finem aut media furtum unius oboli quam unius aurei, et tamen hoc est mortale, illud veniale. Respondent Conradus et Caietanus distinguentes et limitantes suam sententiam ut intelligatur de veniali per se et ex genere, cuiusmodi est mendacium leve aut verbum otiosum; haec enim continent inordinationem circa media tantum et non circa finem; at vero peccatum quod est veniale per accidens sive ex indeliberatione sive ex parvitate materiae dicunt versari circa finem.

Nihilominus de peccato mortali et veniali ex genere, sit 3^a CONCLUSIO: *Haec peccata non differunt penes finem et media, sed tantum quia mortale simpliciter aufert finem aut media simpliciter necessaria ad finem; at vero veniale non aufert simpliciter finem nec media simpliciter necessaria, sed tantum aufert secundum quid.* PROBATUR, quia adulterium et furtum sunt peccata ex genere mortalia et tamen versantur tanquam circa proprium obiectum circa media, nam bonum iustitiae et temperantiae medium est, non ultimus finis. Quod si DICAS versari etiam circa

²¹ IOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in libros Sententiarum*, 2, d.21, q.1: Ed. Vivès, t.13, p.135.

²² RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quarto Sententiarum*, d.16, a.2, q.2: Venecia 1499, f.104r b.

²³ GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, l.2, d.22, q.1, [a.3 Dubium (5)] Editio Tubinga, t.II, 1984, p.451.

²⁴ A. VEGA, *De iustificatione*, l.14, c.12 : Colonia 1572, p.631s.

finem, quia tollunt medium simpliciter necessarium ad finem, et consequenter tollunt finem, id ego intendo, et rursus sic ARGUO: mendacium versatur contra bonum fidelitatis, quod est medium ad finem; ergo consequenter versatur contra finem, nam quod tollit media tollit finem. Quod si RESPONDEAS fide[f.105]litem illam quae levi mendacio destruitur non esse medium simpliciter necessarium ad finem, sed solum quodammodo necessarium, iam ergo peccatum veniale ex genere et peccatum mortale ex genere non differunt penes finem et media, sed penes simpliciter aut secundum quid auferre finem aut medium necessarium ad finem. CONFIRMATUR 1^o, quia non magis habet rationem finis bonum temperantiae, contra quod versatur fornicatio quam bonum fidelitatis, contra quod versatur [in]fidelitas. CONFIRMATUR 2^o, quia quando non tenemur audire Sacrum vel orare, et tamen audimus vel oramus cum voluntaria evagatione mentis, illud est peccatum veniale ex genere, siquidem nunquam pervenit ad mortale, nisi additis circumstantiis alterius generis; et tamen tale peccatum est contra Deum ut finem, nam est contra religionem; religio autem habet Deum pro fine in quantum honorandus est.

Ex iis RESPONDEO alteri difficultati: utrum veniale peccatum sit contrarium charitati et gratiae, nam ut tradunt omnes Sancti et Doctores citati dubio 7, non est contrarium simpliciter ita ut auferat aliquam partem eorum habituum, ut dicitur infra, a.4, dub.2; nam recta ratio amicitiae exigit non pendere a levissimis rebus, praesertim dum agitur cum personis non satis dominis suarum actionum, et fragilibus. Nihilominus veniale quodammodo contrarium est charitati, quatenus actus ille inordinatus est in ordine ad amicitiam, et propterea retardat actualem fervorem actus charitatis et insuper demeretur specialia quaedam Dei auxilia. Sed de hoc ex professo in materia de charitate, 2^a 2^o, q.24, a.10²⁵.

²⁵ No tenemos noticia de que Diego Ruiz de Montoya comentara la materia *De Caritate* de Santo Tomás. Al menos, no nos ha llegado en ninguna de sus obras impresas ni manuscritas. Cf ESTANISLAO OLIVARES, S.I., *Diego Ruiz de Montoya (1562-1632). Datos biográficos. Sus escritos...* : ArchTeolGran 59 (1986) 83-109.

Dubatur 11^o

**Utrum ille qui peccat venialiter,
ratione talis peccati avertatur ab ultimo fine et
constituat ultimum finem in creatura.
Ubi an veniale referri possit habitualiter in Deum**

Cum certum sit veniali peccato non averti personam simpliciter a Deo, ut in praecedenti dubio dictum est, in prasenti solum quaeritur utrum ipsius actus qui est peccatum veniale Deus sit vere finis an vero creatura.

1^o, D. Bonaventura, ex professo tractans hanc quaestionem 2, d.42, q.1²⁶, concludit in veniali peccato non esse simpliciter aversionem a Deo nec constitui finem in creatura, quia haec sonant contemptum Dei, qui proprius est peccati mortalis, sed ait peccatum veniale quodammodo avertere a Deo quatenus retardat, et in illo non esse fruitionem nec usum creaturae, sed tantum abusum creaturae, vide illum. Eadem fere est sententia Gabrielis, 4, d.16, q.5, a.5²⁷.

2^a SENTENTIA asserit peccatum veniale continere aversionem actualem a Deo, licet non causet simpliciter aversionem in persona sicut mortale, ita Albertus, 2 p. *Theologiae*, tract.18, q.114, mem.4, a.1²⁸, et Hallensis, 2 p, q.123, mem.1, § 3, versus finem²⁹, ait veniale non ordinari ad Deum, sed potius ipsum

²⁶ BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.22, a.2, q.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.965b.

²⁷ GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, l.4, d.16, q.5, [a.1, Notabile 1]: Editio Tubinga, t.IV/2, p.359.

²⁸ ALBERTUS MAGNUS, *Summa Theologiae*, 2 p., tr.18, q.114, membr.4, a.1: ed. Vivès, t.33 (Paris 1895), p.338.

²⁹ ALEXANDER DE HALES, *Summa Theologica*, 2 p., tr.1, sect.1, q.1, c.2: ed. Quaracchi 1930, p.286.

actum carere debito fine, licet illum non auferat a persona, et Richardus, 2, d.42, a.2, q.2c³⁰, ait veniale non referri ad Deum quia non est referibile, sed in illo amari creaturam ut finem, quamvis non ita ut anteponatur Deo.

Pro explicanda mente horum Doctorum sit

1^a CONCLUSIO: *Saepe contingit actu peccati venialis non intendi Deum ut finem ultimum illius actus, sed intendi tantum creatum bonum.* Ita concedunt non solum D. Bonaventura, Albertus, Alexander, Richardus et Gabriel supra citati, sed etiam D. Thomas, Conradus et Caietanus infra.

PROBATUR manifeste, quia saepe contingit plus nimio comedere propter delectationem gustus aut loqui verbum otiosum propter illius delectationem non intendendo actualiter aliud bonum superius, et talis actio humana necessario habet aliquod bonum creatum quae sit ratio formalis et ultima finis illius. Impossibile enim est actionem humanam esse sine ultimo fine, quia quod in aliqua volitione amatur et non ordinatur per eandem volitionem ad aliud bonum, illud est finis ultimus illius volitionis. Hoc quidem est quod aliis verbis dicitur ab aliis doctoribus: in peccato veniali creaturam esse finem operis et finem operantis, in quantum illa operatione operatur. Alii dicunt in peccato veniali creaturam esse finem ultimum non positive, sed negative, quia non ordinatur ad Deum. Hoc tamen falsum est, quia in pecca[f.105]to veniali non solum est illa negatio ordinandi creaturam ad Deum, sed etiam vere est amor creaturae ut motivi habentis in se sufficientem rationem ut propter se, independenter ab alio fine ametur. Et ratio haec finis est positiva, insuper positiva est illa monstruosa antepositio qua in peccato veniali secundum quid anteponitur creatura Deo. Sed quia haec antepositio est secundum quid, non tollit simpliciter finem personae, imo nec finem illius actionis

³⁰ RICARDUS A MEDIÁVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum Petri Lombardi Quaestiones subtilissimae*, 2, d.42, a.2, q.2 conclusio : Brixiae 1591, p.512a.

quae est peccatum veniale, quia illa actione creatura non amatur ut finis incompatibilis cum Deo, sed per modum cuiusdam additamenti finis ultimi.

2^a CONCLUSIO: *Contingere potest actum peccati venialis se ipso referri in Deum ut in ultimum finem, quamvis contra rectam rationem.* Ut si quis velit mentiri leviter ut obtineat a sacerdote ut eius confessionem audiat et praebeat Eucharistiam propter consequendam divinam amicitiam. Etenim tale peccatum veniale, quamvis secundum rectam rationem et immediate et per se non possit servire ad consequendum ultimum finem, potest servire per accidens ut cum effectu quis consequatur Deum et hoc sufficit ut intendatur; ut late probatum est non solum de veniali sed etiam de mortali, supra, q.18, a.4, dubio 4³¹.

Difficultas autem est utrum iustus referat habitualiter in Deum peccata venialia. Affirmat enim D. Thomas, hic, q.88, a.1 ad 2, 3 et 4³² (ubi Conradus³³ et 2^a 2^e, q.24, a.10 ad 2³⁴, ubi Caietanus³⁵; Medina, 1^a 2^e, q.1, a 5³⁶).

Ex locis adductis D. Thomae colliguntur argumenta nonnulla pro hac sententia: 1^{um} est, quia Apostolus 1 Cor 10 [31] praecipit omnia fieri in gloriam Dei; ergo nisi iustus aliquo modo saltem habitualiter in Deum referat quodcumque opus, peccat contra hoc praeceptum, ac proinde mortaliter.

³¹ No conocemos este comentario. Véase nota 25.

³² THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^e, q.88, a.1 ad 2, 3 et 4: ed. leon. 7 133.

³³ CONRADUS KOELLIN, O.P., *Expositio Commentaria... in Primam Secundae... S. Thomae Aquinatis*, q.88, a.1: Venecia 1589, p.699s.

³⁴ ID, *Ibid.*, 1^a 2^e, q.74, a.9 ad 2: ed. c. 575s.

³⁵ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti.Thomae*, 2^a 2^e, q.24, a.10 ad 2: ed.leonina, *Operum Sti.Thomae* 8, 193, IV.

³⁶ B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, q.1, a.5 : Venecia 1602, p.14b-15a.

2º, quia ex Augustino, lib. 83 *Quaestionum*, q.30³⁷, humana perversitas est frui utendis et uti fruendis; atqui perversitas sonat peccatum mortale, ut inquit D. Thomas; ergo si peccans venialiter frueretur creatura, peccaret mortaliter. Frueretur autem si ultimum finem in creatura ita constitueret ut nec actu nec habitu ordinaret ad Deum.

3º, quia Augustinus, 10 *Confessionum*, cap.29³⁸, Deum alloquitur his verbis: *minus [f.106] te amat qui tecum aliquid amat quod non propter te amat*. Cum autem charitas non minuatur peccato veniali, ut constat 2ª 2^æ, q.24, a.10³⁹, necessarium erit dicere eam creaturam quae veniali peccato amatur, saltem habitualiter amari propter Deum, ut inquit D. Thomas in 2ª 2^æ citata.

4º, quia finis ultimus iusti est Deus; sed de ratione finis ultimi est omnia referri ad illum; ergo iustus, saltem habitualiter refert in Deum omnia, etiam peccata venialia. CONFIRMATUR, quia alioqui destrueret ultimum finem, et illum constitueret in creatura, quare mortaliter peccaret. CONFIRMATUR 2º, quia nisi veniale ordinaretur habitualiter in Deum, ita homo se gereret cum Deo ac si Deus non sufficeret ut plene satiaret eius appetitum, siquidem aliud bonum quaerit ulterius.

5º, quia iustus habet gratiae et charitatis habitus per quos se et omnia sua potest referre in Deum, et peccatum veniale non excludit hos habitus; ergo per illos poterit in Deum referri, et hoc est referri habitualiter.

De his argumentis solvendis et instaurandis pauca dicam in fine huius dubii.

³⁷ AUGUSTINUS, *De diversis Quaestionibus octoginta tribus*, q.30: CCL 44A 38; PL 40 19.

³⁸ AUGUSTINUS, *Confessionum libri XIII* : CCL 27 176; PL 32 796.

³⁹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2ª 2^æ, q.24, a.10: ed. leonina, 8,192.

Iuniores aliqui contendunt peccato veniali finem in creatura ita constitui, ut nec actu nec habitu referatur in Deum. Praecipuum argumentum contra D. Thomam est quia peccatum veniale nulla ratione potest ordinari in Deum; ergo nec habitualiter ordinatur a iusto. CONFIRMATUR, quia habitualiter ordinari est habitum charitatis esse in iusto quo possit ordinari in Deum, ut D. Thomas, Conradus et Caietanus, citati, dicunt; sed per habitum charitatis non potest ordinari peccatum veniale in Deum; et probo, quia per habitum tantum possumus elicere actus illius habitus, sed actu ordinare peccatum veniale in Deum non est actus charitatis, cum sit actus malus; ergo etiam habitualiter ordinare non pertinet ad charitatem. Caietanus, 2^a 2^e, q.24, a.10, circa ad 2^{um} respondet⁴⁰ dici peccatum veniale habitualiter referri in Deum, non quidem quia ipsum veniale referri possit, sed quia charitas iusti, quod in se est, potest referre in Deum omnia referibilia, quod si non potest [f.107] referre veniale, non est defectu charitatis sed defectu peccati. Sed haec explicatio permittit absolute veram esse hanc propositionem: peccatum veniale nec actu nec habitu refertur in Deum nec potest referri ab homine iusto, nam cum his verbis de peccato veniali agimus, non dicimus quid charitas possit circa bona sed quid impossibile sit circa mala.

Propterea Medina, 1^a 2^e, q.1, a.5, fine⁴¹, post longam disputationem concludit peccatum veniale referri posse in Deum ab homine iusto, non quidem immediate sed remote, quatenus peccatum veniale ordinatur ad delectationem peccantis, et peccans seipsum et suam delectationem potest referre in Deum per actum charitatis; et huic explicationi valde favet D. Thomas, 2^a 2^e, q.24, a.10 ad 2⁴², illis verbis: quod enim amatur in peccato veniali propter Deum amatur habitu. Sed adversarii hoc reiiciunt, quia ut peccatum veniale saltem mediate referatur in Deum opus est

⁴⁰ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summa Sti.Thomae*, 2^a 2^e, q.24, a.10: ed.leonina *Operum Sti.Thomae* 8 194.

⁴¹ B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, q.1, a.5 : Venecia 1602, p.15.

⁴² THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2^a 2^e, q.24, a.10 ad 2: ed.leon., 8 193.

ipsum hominem et eius delectationem, non solum secundum suum esse materiale sed etiam in quantum sunt finis peccati venialis, referri in Deum; atqui finis peccati in quantum talis non potest referri in Deum, quia ut sic est malus; ergo veniale non refertur habitualiter in Deum. Caeterum maiorem huius argumenti non probant nec probare possunt, ut existimo; etenim licet perfectius ordinaretur in Deum peccatum veniale si homo et eius delectatio, in quantum est finis peccati venialis, ordinaretur in Deum, nihilominus minus perfecte referret et mediate redit in finem ultimum quando creatura quae est finis peccati refertur secundum suum esse materiale in finem ultimum. Unde constat solutionem Medinae non esse contemnendam.

Nihilominus plenior veritas erit in verbis D. Thomae, si ipsamet peccata venialia dixerimus referri posse in Deum per actum charitatis, quod dupliciter potest intelligi: 1° ut ex charitate moveatur homo ad peccandum venialiter vel ad complacendum in peccato veniali; et hoc est impossibile. 2° autem possibile est, ex suppositione quod peccatum veniale iam est commissum, ordinare ipsam etiam malitiam peccati [f.107v] ad gloriam Dei, sive quatenus punienda est et reducenda ad aequalitatem iustitiae, sive quatenus extollit divinam bonitatem quae illam tolerat, vel alio bono fine. Et hac ratione divina providentia omnia peccata, ex suppositione quod futura sunt iilo permittente, ordinat ad suam gloriam, ut docet D. Thomas, *De veritate*, q.5, a.4, corpore, et ad 1^{um}⁴³; Ferrariensis, 3 *Contra gentes*, cap.7⁴⁴. Ista autem ordinatio non fit quasi persequendo ulterius tendentiam et viam peccati, sed quasi repercussione reflectendo et reducendo ad rectitudinem eam obliquitatem quam peccatum veniale continet.

⁴³ THOMAS AQ., *Quaestiones disputatae de veritate*, q.5, a.4c et ad 1^{um}: ed. leon., 22, 149s.

⁴⁴ F. FERRARIENSIS, OP, *Divi Thomae Aquinatis, Doctoris Angelici, Summa catholicae fidei Contra Gentiles cum commentariis...*, l.3, c.71, 5^o ad 1: Roma 1570, f.317 a-b.

Ex hoc toto discursu colligitur 3^a CONCLUSIO: *Peccatum veniale habitualiter refertur in Deum ab homine iusto quatenus retinet habitum charitatis quo potest propter Deum velle ut peccatum veniale, supposito quod iam commissum sit, occasionem praebeat et materiam divinae gloriae.*

Sed dices: idem posset aliquis velle de mortali commissio; ergo etiam mortale habitualiter refertur in Deum. Respondeo negando consequentiam, quia mortale destruit habitum et actum charitatis quo facienda sit talis ordinatio modo debito et proportionato, at vero veniale illum actum et habitum permittit, ut supra.

Omnia argumenta adducta pro sententia D. Thomae ex hac doctrina recuperant vires contra adversariorum solutiones quae fere reducuntur ad hoc principium, scilicet peccata venialia non esse referibilia in Deum, et ideo dicunt non esse praeceptum a Paulo referri habitualiter in Deum nisi referibilia nec esse de ratione ultimi finis ad illum referre nisi ea solum quae sunt referibilia, et charitatem non posse referre in Deum nisi referibilia, et propterea concedunt finem qui intenditur peccato veniali nullo modo nec habitualiter amari propter Deum, unde etiam dicunt iustum peccantem venialiter frui creatura aliquo modo, quia illam non refert in Deum. At vero cum constitutum sit peccata venialia esse referibilia in Deum, instaurare possunt omnino illa argumenta.

Dubitatur 12^o

Utrum peccatum veniale sit contra praeceptum vel tantum contra consilium

[f.108] 1^o Scotus, 2, d.21, q.1⁴⁵, ait peccatum veniale distingui a mortali, quia veniale contra consilium est, mortale vero contra praeceptum. Idem, Gabriel, 4, d.16, a.1⁴⁶, nec dissimile est quod 2, d.22, q.1, col. penult.⁴⁷ dicit, veniale peccatum esse de rebus non necessariis, utilibus tamen ad finem. Idem fere Richardus, 4, d.16, a.2, q.2⁴⁸, dicens [per] peccatum veniale corrumpi debitum ordinem congruitatis non necessitatis. Haec tamen sententia reiicitur communiter a Doctoribus infra citandis, quia ducere uxorem est contra consilium Domini, de quo Apostolus, 1 Co. 7 [25] *De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do*, et retinere divitias est contra illud consilium: *vade et vende omnia quae habes, etc.* [Lc 18 22], et tamen neutrum est peccatum veniale, nam statim subdit Apostolus: *si nupserit virgo non peccabit*. CONFIRMATUR, quia si peccatum veniale esset praetermittere consilia, iam non essent mere consilia sed praecepta, siquidem obligarent sub culpa et poena levi.

Ideo 2^a opinio asserit peccatum veniale esse contra praeceptum. Ita D. Bernardus, *De praecepto et dispensatione*⁴⁹ ait venialia esse contra minora praecepta. Et Basilius, in *Regulis*

⁴⁵ IOANNES DUNS SCOTUS, In 2, d.21, q.u., 3: ed. Vivès (Paris 1894) t.23, p.101.

⁴⁶ GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, l.4, d.16, [a.1, Notabile 1]: Editio Tubinga, t.IV/2, 1977, p.458.

⁴⁷ IDEM, *ibidem*, l.2, d.22, q.1, [a.3] (2) Editio Tubinga, 1984, t.II, p.449.

⁴⁸ RICARDUS A MEDIAVILLA, *Super quarto Sententiarum*, d.16, a.2, q.2: Venecia 1499, f.104r.

⁴⁹ BERNARDUS, *De praecepto et dispensatione*, 7, 14: ed. Cistercienses, t.3, p.263; PL 82 867.

Brevioribus, Interrogatione 4, sub nomine *levium peccatorum* et expressius sub nomine *venialis*⁵⁰. Idem, *Altissiodorensis*, lib.2, *Summae*, trac.28, cap.2, in quaestione de distinctione venialis a mortali ad 1⁵¹. Hadrianus, *Quolibetica* 6, a.2⁵²; Durandus, 2, d.42, q.6 ad 1⁵³; Almainus, trac.3, *Moralia*, cap.20⁵⁴; Vitoria, *Relectione de potestate civili*, n° 18 et 19⁵⁵; Vega, 14 *In Tridentinum*, cap.13⁵⁶; Castro, *De lege poenali*, cap.23⁵⁷; Navarrus, *Praeludium* 7, ex n° 16⁵⁸.

Praeterea supponere videntur hanc sententiam communiter Doctores dicentes aliqua statuta sive praecepta aut leges Ecclesiae vel religiosorum obligare non sub mortali, sed sub veniali. Ita D. Thomas, 2^a 2^{ae}, q.186, a.9 ad 1⁵⁹, ubi Caietanus⁶⁰; D. Antoninus, 3 p, tit.16, cap.1, § 13⁶¹; Henricus, *Quodlibeto* 3, q.21⁶²; Maior,

⁵⁰ BASILIUS MAGNUS, *Capita regularum brevius tractatarum*, Interrogatio 4: PG 31 1083.

⁵¹ GUILLELMUS ALTISSIODORENSIS, *Summa Aurea*, l.2, tr.15, c.3, q.1 : ed. Paris-Roma 1982, l.2, p.537 47s.

⁵² ADRIANUS SEXTUS, PONT.MAX., *Quaestiones quolibeticae*, q.1 : Padua 1522 (reproducción New Jersey, USA 1964) fol.4b.

⁵³ DURANDUS A STO PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.42, q.6, ad 1: Amberes 1566, fol.202, n.12.

⁵⁴ J. ALMAIN, *Aurea... opuscula, Moralia*, tr.3, c.20 : Paris 1518, f.73.

⁵⁵ F. VITORIA, OP, *Relectio de potestate civili*, n°18 y 19: ed. BAC 198 (Madrid 1960), p.186-190.

⁵⁶ A. VEGA, *De iustificatione doctrina universa*, l.14, c.13: Colonia 1572, 632-636.

⁵⁷ ALFONSO DE CASTRO, *De potestate legis poenalis*, l.1, c.12: Lyon 1566, 206-233.

⁵⁸ M. DE AZPILCUETA, [DOCTOR NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, *Praeludium* 7, n° 11: Venecia 1584, p.46s.

⁵⁹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2^a 2^{ae}, q.186, a.9 ad 1 : ed.leon., 10, 500s.

⁶⁰ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, ibidem: ed. leon. 10, 502.

⁶¹ ANTONINUS EP. FLORENTINUS, OP, *Summa*, 3 p., tit.16, c.1, § 13: Lyon 1529, f.144r.

⁶² HENRICUS GOERBALS A GANDAVO, *Quotlibeta*, 3, q.21: Paris 1528 (Reprod. Lovaina 1961), f.81r-v.

4, d.38, q.19⁶³; Angelica, v. *Religiosus*, n° 28⁶⁴; Sylvestrina, v. *praeceptum*, n° 2⁶⁵; et plerique alii.

PROBATUR 1°, quia omne veniale est contra dictamen rectae rationis; ergo est contra legem Dei cuius vices gerit dictamen rationis. CONFIRMATUR, quia lex naturae prohibet fieri aliquid contra rectam rationem.

2°, quia venialia sunt contra virtutes quae praeceptae sunt; ergo sunt contra ipsa prae[f.108v]cepta. PROBATUR antecedens, quia mendacium est contra veracitatem; dubitatio fidei non plene deliberata est contra fidem; furtum unius quadrantis est contra iustitiam.

3°, quia non mentiri praecipitur Levitico 19 [11], et tamen mendacium sine alia circumstantia est veniale.

4°, quia peccatum veniale non haberet rationem peccati si non esset contra legem Dei. Nam ex D. Augustino, Ambrosio, et communiter Doctores supra, q.71, a.6, dub.1, definitur peccatum per oppositionem cum lege. Confirmatur, quia ad Romanos, 4 [15], *ubi non est lex non est praevaricatio*.

3^a sententia gravissimorum Doctorum absolute ait peccatum veniale non esse contra legem, sed praeter legem. Ita Magister, 2, d.35⁶⁶, ubi definitionem peccati traditam ab Augustino et Ambrosio intelligendam putat de solo peccato mortali; et cum eo sentiunt communiter scholastici, D. Thomas, hac q.88, a.1 ad 1⁶⁷

⁶³ IOANNES MAIOR, *In Quartum Sententiarum*, d.38, q.19 : Paris 1528, f.228.

⁶⁴ ANGELUS CHIVASSO, *Summa Angelica*, v. religiosus, n° 28

⁶⁵ SYLVESTER PRIERAS, *Summa Summarum*, v. Praeceptum, 2-3: Lyon, 1553, p.308s.

⁶⁶ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.35, c.1 (324): Florencia 1916, t.1, p.491.

⁶⁷ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^e, q.88, a.1 ad 1: ed.leon., 7, 133.

et 2^a 2^{ae}, q.104, a.2 ad 1 et q.105, a.2 ad 1⁶⁸; Albertus, 2 p., trac.18, q.114, mem.3 ad 1⁶⁹; Alexander, 2 p., q.123, mem.1⁷⁰, quod postea magis explicat § 4 ad 3⁷¹; D. Bonaventura, 2, d.42, q.1 ad 2⁷²; Guilielmus Parisiensis, trac.2 *De vitiis*, prope initium⁷³; Richardus, 2, d.42, a.2, q.2 ad 3⁷⁴; Scotus, 2, d.21, q.1⁷⁵; Glossa, cap. Sic enim 28 a; q.1, verbo *illicitum*⁷⁶; Conradus⁷⁷, Caietanus⁷⁸ et alii thomistae hic; Angelica, *peccatum*, n^o 1; Petrus Soto, *De institutione sacerdotum*, trac. de discrimine peccatorum, lectione 6^{a79}.

PROBATUR quia saepe Sacra Scriptura gratiam et gloriam promittit servantibus praecepta et leges et negat illorum transgressoribus; sed licet quis committat venialia peccata non amittit gratiam et gloriam; ergo non transgreditur legem. Maior constat Prov. 19 [16]: *qui custodit mandatum custodit animam suam, qui autem negligit viam suam mortificabitur*, et Eccli. 15

⁶⁸ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2^a 2^{ae}, q.104, a.2 ad 1 y q.105, a.1 ad 1: ed. leon., 9, 384 y 393b.

⁶⁹ ALBERTUS MAGNUS, *Summa theologica*, p.2, tr.18, q.114, membr.3 solutio ad 1 : ed. Vivès, t.33 (Paris 1895) p.334b.

⁷⁰ ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, l.2, p.2, inq.3, tr.1, sect.1, q.1, c.2 : t.3 (Quaracchi 1930), p.286.

⁷¹ ID., *ibidem*, ad 3: ib., p.286s.

⁷² BONAVENTURA, *In librum 2 Sententiarum*, d.42, a.2, q.1 : ed. Operum, t.2 (Quaracchi 1885), p.965b. Cf *ib.*, d.35, dub.1 : *ibid.*, p.836a.

⁷³ No hemos podido verificar esta cita.

⁷⁴ RICARDUS A MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum Petri Lombardi Quaestiones subtilissimae*, 2, d.42, a.2, q.2 ad 3 : Brixiae 1591, p.512b

⁷⁵ I. DUNS SCOTUS, *Quaestiones in Librum Sententiarum*, 2, d.21, q.1 : ed. Vivès, t.13 (Paris 1893), p.135.

⁷⁶ C.I.C. c.9, Causa XXVIII, Q.1: Decretum Gratiani emendatum et notationibus illustratum una cum glossis, Roma 1582, col. 2032.

⁷⁷ CONRADUS KOELLIN, O.P., *Expositio Commentaria... in Primam Secundae... S. Thomae Aquinatis*, q.88, a.1: Venecia 1589, p.700a.

⁷⁸ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1^a 2^{ae}, q.88, a.1: ed.leonina *Operum St.Thomae* 7, 133a.

⁷⁹ P. DE SOTO, *De institutione sacerdotum*, tr. De discrimine peccatorum lect.6 : Amberes 1566, f.347v.

[16]: *si volueris servare mandata servabunt te*; Mt 19 [17]: *si vis ad vitam ingredi serva mandata*, Jn 14 [15], et alibi saepe. CONFIRMATUR, quia aliqui dicuntur in Sacra Scriptura servare mandata, qui tamen sine dubio venialiter peccabant, ut Zacharias et Elisabet, Lc 1 [6] dicuntur *inceden[te]s in omnibus mandatis et iustificationibus Domini sine quaerela*. Sed respondet Vega illud esse non quia veniale non sit contra legem, sed quia cum sit minima transgressio, non denominat transgressorem illum qui servat maiora praecepta, sicut minimus quidam gradus caloris vere retinet naturam caloris, nihilominus non denominat subiectum calidum. Sed contra hoc est, quia iustus non solum dicitur servare mandata, sed dicitur servare omnia mandata, ut constat Lc 1; ergo nullum mandatum quod sit simpliciter mandatum excluditur.

2° PROBATUR, quia in praecepto charitatis omnis lex et praeceptum includitur, Mt 22 [40], Mc 12 [31], Jn 15 [12] et Ad Romanos 13 [8]; sed qui peccat venialiter nihil propterea committit contra charitatem, sed praeter charitatem; ergo non transgreditur mandatum. Confirmabitur magis ex dicendis infra.

Praedictae sententiae, licet solo fere nomine differant, 3^a tamen sententia multo melius loquitur. Pro quo

DICO 1°: *Absolute non sunt contra legem et praeceptum peccata venialia*, ut probant rationes 3^{ae} sententiae.

DICO 2°: *Peccata venialia sunt contra legem aliquo modo et secundum quid*. Et hoc forte intendunt doctores 2^{ae} sententiae, praesertim Durandus, qui se explicat de lege secundum quid, idemque non negatur a doctoribus 3^{ae} sententiae, praesertim Alexandro et Caietano, qui expresse admittunt obligationem secundum quid loco citato, et expressius 2^a 2^{ae}, q.114, a.2⁸⁰, admittit praeceptum aliquo modo obligans sub veniali, et inobedientiam secundum quid respectu illius. Sic etiam doctores

⁸⁰ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summa Sti.Thomae*, 2^a 2^{ae}, q.114, a.2: ed.leonina, *Operum Sti.Thomae*, 9 443.

1^o sententiae Scotus, Richardus et Gabriel nomine consilii aut congruitatis intelligunt obligationem secundum quid. Hanc conclusionem efficaciter probant rationes 2^o sententiae. Sed praeterea explicatur et probatur utraque conclusio in triplici genere venialium. Nam quod est veniale ex genere, licet directe et totaliter transgrediatur aliquam legem, verum illa non est lex simpliciter, sed lex secundum quid, sicut lex naturalis prohibens otiosas actiones. Quod PROBO, quia de ratione legis est vis obli[[f.109v]gandi, haec autem provenit tum ex voluntate imponentis legem, tum ex necessitate rei praeceptae ad finem intentum in praecepto; cum autem vitare quamlibet actionem otiosam non sit necessarium simpliciter ad finem naturae rationalis consequendum, nec Deus voluerit simpliciter adstringere, sed aliquo modo, fit talem legem non esse simpliciter legem. CONFIRMATUR quia si obligaret simpliciter, foret simpliciter necessarium illam servare. CONFIRMATUR, quia inter amicos levia non dissolvunt amicitiam.

Alia autem venialia sunt ex parvitate materiae, quae licet sint contra legem quae simpliciter est lex, tamen non transgrediuntur illam simpliciter, sed secundum quid; sicut furari quadrantem, licet sit contra praeceptum iustitiae quod est simpliciter praeceptum et simpliciter obligans, nihilominus illud non violat simpliciter sed secundum quid.

Alia sunt venialia defectu plenae libertatis, ut motus infidelitatis secundo primus et imperfecte deliberatus, quo violatur praeceptum fidei ex se simpliciter obligans et, quod est ex ratione intrinseca actus, violatur simpliciter; sed illud praeceptum non obligat illam personam in hoc tempore simpliciter, sed secundum quid, quia praeceptum non obligat in actu secundo nisi operantem libere, et ubi non est libertas simpliciter, non est simpliciter obligatio moralis, ac proinde illud peccatum non est contra legem simpliciter obligantem in actu secundo.

Dubitatur 13^o Utrum peccatum veniale sit simpliciter peccatum et ofensa Dei

Affirmat Durandus, 2, d.42, q.6, ad 1⁸¹; Vega, 14 *In Tridentinum*, cap.13⁸²; Medina hoc a.1⁸³, ubi Zumel, disp.4, conclus.1⁸⁴ dicens oppositum sibi videri non satis tutum; Navarrus, *Praeludium* 7, n^o 16⁸⁵.

PROBARI potest 1^o omnibus illis testimoniis Sacrae Scripturae et sanctorum et argumentis quae supra, dubio 7, attulimus ad probandam distinctionem venialis a mortali, nam ex illis omnibus colligitur venialia absolute dici et esse peccata, debita et offensa, ut Iacobi 2 [3 2]: *in multis offendimus omnes*, et 1 Jn 1 [8], *si dixerimus quia peccatum non habemus*, etc.

2^o, quia confessionis materia sunt peccata, et tamen sufficiunt venialia; ergo sunt simpliciter peccata.

3^o PROBAT Durandus specialiter de peccato veniali plene deliberato, quia actus plene deliberatus cadens super materiam indebitam est simpliciter peccatum; sed decretum mentiendi est huiusmodi; ergo.

⁸¹ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.42, q.6: Amberes 1566, fol.202, n.12.

⁸² A. VEGA, *De iustificatione doctrina universa*, l.14, c.13: Colonia 1572, p.632-636.

⁸³ B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae*, q.73, a.5: Venecia 1602, p.373b.

⁸⁴ F. ZUMEL, OM, *In primam secundae S. Thomae Commentarii*, q.88, a.1, disp.4, 1^a concl.: t.1 (Salamanca 1594), p.695.

⁸⁵ M. DE AZPILCUETA, [DOCTOR NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et paenitentium*, Praeludium 7, n^o 11: Venecia 1584, p.46s.

4°, quia si in peccatis aliud est simpliciter, aliud secundum quid, oportet eandem distinctionem convenire in virtutibus, quia quot modis dicitur unum oppositorum tot modis dicitur aliud; constat autem nullam esse virtutem secundum quid.

5°, quia poena essentialiter respicit culpam; sed pro peccato veniali imponitur poena simpliciter; ergo est culpa simpliciter.

Nihilominus sit 1^A CONCLUSIO: *Quaedam sunt secundum quid talia, quae non habent rationem intrinsecam, sed solam apparentiam et denominationem extrinsecam, sicut leo marmoreus dicitur leo secundum quid et ens rationis dicitur ens secundum quid. Hoc modo peccata venialia non sunt peccata secundum quid, quia habent intrinsecam et veram deordinationem, ut probant argumenta quae praecedunt.*

2^A CONCLUSIO: *Alia vero dicuntur talia secundum quid, quia in illis ratio superior est valde diminuta, ita ut vix dicenda sint talia si comparentur cum illis quae sunt talia simpliciter, sicut accidens comparatum cum substantia dicitur ens secundum quid, et creatura comparata cum Deo dicitur ens secundum quid. Hoc modo peccatum veniale est peccatum secundum quid.* Ita D. BONAVENTURA, 2, d.35, in expositione litterae, n° 3⁸⁶; D. THOMAS, q.7 *De malo*, a.1 ad 1⁸⁷, et favet in praesenti a.1, q.88⁸⁸, ubi hoc docent CONRADUS⁸⁹ et CAIETANUS circa ad 1⁹⁰; ARGENTINAS, 4, d. 11, q. unica, a.4 ad 2 et 3⁹¹; PETRUS DE SOTO, *De institutione sa-*

⁸⁶ BONAVENTURA, *In 2 Sententiarum*, d.35, dub.3 : ed. Op., t.2 (Quaracchi 1885), p.837. [«Peccatum actuale mortale est peccatum simpliciter». No dice expresamente que el pecado venial sea secundum quid].

⁸⁷ THOMAS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.7, a.1: ed.leon., 23, 159b.

⁸⁸ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^e, q.88, a.1: ed. leon. 7, 132.

⁸⁹ CONRADUS KOELLIN, *Expositio Commentaria... in Primam Secundae... S. Thomae Aquinatis*, q.88, a.1: Venecia 1589, p.699a.

⁹⁰ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1^a 2^e, q.88, a.1 ad 1: ed.leon. *Operum Sti. Thomae*, 7 133a.

⁹¹ THOMAS ARGENTINAS, OSA EREM, *Commentaria in IIII libros Senten-*

cerdotum, tract. de discrimine peccatorum, lect. 6⁹². Et ipse Durandus qui supra dixerat veniale esse simpliciter peccatum, in sequenti q.7⁹³ ait esse secundum quid offensam Dei, ubi nescio quid intellexerit nomine offensae Dei quod non deberet intelligere nomine peccati theologicè accepto ut Deum respicit. Favet praeterea Albertus, in sequenti dubio, ubi magis explicabitur haec conclusio:

2^o PROBATUR, quia peccati praecipua ratio et malitia, theologicè accepta, est contra Deum et eius legem; sed veniale non est simpliciter contra Deum et eius legem, sed tantum secundum quid, ut ex superioribus dubiis constat; ergo est peccatum secundum quid. CONFIRMATUR iisdem argumentis quibus probata est 2^a conclusio praecedentis dubii: nam si actus sit sine plena deliberatione non est simpliciter offensa, quia offensa deliberatum actum exigit; et praeterea non est simpliciter imputabilis, unde nec simpliciter peccatum

Si autem materia levis est, parum pro nihilo reputatur moraliter; et praeterea si est peccatum ex genere veniale, non est contra legem quae simpliciter est lex.

Favet modus loquendi Sacrae Scripturae et Sanctorum qui nullum dicunt peccatorem licet venialia committat, si caveat a mortalibus. Favet etiam eorundem modus loquendi quo, nomine peccati intelligitur solum mortale, ut Ezechiel 18 [20] *anima quae peccaverit ipsa morietur*; 1 Jn 3 [6] *qui manet in eo non peccat*; similiter Iacobi 2 [10] *qui offenderit in uno factus est omnium reus*; [f.110v] et ad Romanos 6 et Mt 5 et Dt 27.

tiarum, Ginebra 1585. No hemos podido verificar esta cita.

⁹² P. DE SOTO, OP, *De institutione sacerdotum*, De discrimine peccatorum, lect.6 : Amberes 1566, f.347v.

⁹³ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.17, q.7: Amberes 1566, fol.203v, n.7.

Ad 1^{um} RESPONDEO: eiusmodi peccata communiter dicuntur levia aut venialia quae sunt addita diminuentia et quando haec non adduntur, ex antecedentibus et consequentibus colligitur sermonem esse de peccatis levibus. Respondeo 2^o: sicut accidens dicitur ens absolute et sine addito, quamvis comparatum cum substantia vel cum Deo non sit ens simpliciter sed secundum quid, ita veniale quandoque absolute appellatur peccatum, quamvis comparatione mortalis sit peccatum secundum quid.

Ad 2^{um} RESPONDEO, confessionis sufficientem materiam esse quod non est simpliciter peccatum, dummodo veram habeat rationem peccati; at vero inde etiam colligitur veniale non esse simpliciter peccatum, quia non cadit sub praecepto confessionis.

Ad 3^{um} RESPONDEO illam materiam mendacii et cuiusque alterius peccati venialis, non esse indebitam simpliciter sed secundum quid, ut dictum est in dubio praecedenti.

Ad 4^{um} RESPONDEO virtutem opponi peccato praecipue secundum rationem debiti, scilicet in quantum homo debet operari secundum virtutem, ex suppositione quod operatur; inde enim peccatum habet perfectam rationem privationis, ut dictum est in q.71, a.6, dub.1⁹⁴; at vero quaedam virtutes sunt simpliciter debitaе ut iustitia, quaedam vero secundum quid debitaе ut veracitas, praecisa a iuramento et damno, ac proinde totidem modis dicitur virtus, qua ratione opponitur peccato, quot modis dicitur peccatum. Aliter solvit et non male Caietanus, hoc a.1, Ad confirmationem⁹⁵.

Ad 5^{um} RESPONDEO, etiam poenam peccati venialis quantumcumque magna sit, non esse simpliciter poenam, quia non est pro culpa simpliciter, quamvis intrinsecam rationem poenae retineat, sicut veniale retinet intrinsecam rationem culpae.

⁹⁴ DIEGO RUIZ DE MONTOYA, *Commentarii in materiam de peccatis* (1.2., q.71, a.6, dub.1^o, [sect.1^o]: Véase ArchTeolGran 2 (1940) 236–242.

⁹⁵ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti.Thomae*, 1^a 2^e, q.88, a.1: ed.leonina *Operum Sti.Thomae* 7, 134.

Dubitatur 14:

Utrum peccatum dicatur analogice de veniali et mortali

Durandus, 2, d.42, q.6⁹⁶, asserit univocum esse peccatum respectu mortalis et venialis plene deliberati, licet analogum sit respectu illius quod propter indeliberationem veniale est. Probat, quia veniale deliberatum non dicitur peccatum per ordinem et attributionem ad mortale, sed licet mortale non esset, adhuc esset veniale peccatum. Probat praeterea argumentis adductis pro sententia eiusdem Durandi in dubiis praecedentibus.

Nihilominus sit CONCLUSIO: *Peccatum dicitur analogice de veniali et mortali*. Ita D. Thomas hoc a.1⁹⁷; D. Bonaventura, 2, d.35, in *Expositione litterae*, n^o 3⁹⁸; Albertus, 2 p, tract.18, q.114, mem.4, a.2 fine⁹⁹; Capreolus, 2, d.43, q. unica, a.1 et a.3. Ad argumenta Durandi¹⁰⁰; Conradus¹⁰¹, Caietanus¹⁰² et Medina hic¹⁰³, ubi Zumel, d.4¹⁰⁴; Vega, 14 In[f.111] *Tridenti-*

⁹⁶ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.42, q.6: Amberes 1566, fol.202v, nn.5-9.

⁹⁷ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.88, a.1 : ed. leon., 7, 132s.

⁹⁸ BONAVENTURA, *In 2 Sententiarum*, d.35, dub.3 : ed. Operum, t.2 (Quaracchi 1885), p.837.

⁹⁹ ALBERTUS MAGNUS, *Summa theologiae*, 2 p., tr.18, q.114, membr.4, a.2 ad 2 : ed. Vivès, t.33 (Paris 1895), p.340b.

¹⁰⁰ J. CAPREOLUS, OP, *Defensiones Theologiae D. Thomae Aquinatis*, in 2 *Sententiarum*, d.43, q.1, a.2, # 1, II : ed. Operum, t.4 (Turin 1903), t.491s.

¹⁰¹ CONRADUS KOELLIN, O.P., *Expositio Commentaria... in Primam Secundae... S. Thomae Aquinatis*, q.88, a.1: Venecia 1589, p.699a.

¹⁰² THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam S. Thomae*, 1^a 2^{ae}, q.88, a.1 : ed. leon. Operum S. Thomae, 7, 133.

¹⁰³ B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae...*, q.88, a.1 : Venecia 1602, p.464b.

¹⁰⁴ F. ZUMEL, *In primam secundae S. Thomae Commentarii*, q.88, a.1, disp.4, concl.2: t.1 (Salamanca 1594), p.696.

num, cap.13¹⁰⁵; Ferrariensis 3 *Contra gentes*, cap 139¹⁰⁶; Petrus de Soto, *De institutione sacerdotum*, trac. de discrimine peccatorum, lect.6¹⁰⁷; Bellarminus tom.3 *Controversiarum*, 2, lib.1, cap. 11¹⁰⁸; Suarez, 3 p., disp.4, sect. 11¹⁰⁹.

Fere omnes doctores PROBANT, quia peccatum dicitur de veniali et mortali secundum prius et posterius. Hinc etiam Caietanus solvit obiectionem superiorem Durandi, quia scilicet veniale habet essentialiter attributionem ad mortale, sicut morbus ad mortem et sicut dispositio ad formam; unde si non esset possibile mortale non esset possibile veniale, sicut non esset possibilis alteratio si non esset possibilis generatio et corruptio. Confirmatur quia si non esset possibile album simpliciter non esset possibile album secundum quid; ergo si non esset possibilis transgressio legis simpliciter, non esset possibilis transgressio legis secundum quid.

Si haec analogia ad unguem examinanda foret opus esset ex antepredicamentis multa repetere, sed quia nos maiora vocant, tria breviter accipe quibus applicari possint peccatis quae de ente dicta sunt:

1^{um} est: *D. Thomas et alii citati analogiam peccati respectu mortalis et venialis comparant cum analogia entis, in quo datur*

¹⁰⁵ A. VEGA, *De iustificatione doctrina universa*, l.14, c.13 ad 8 arg.: Colonia 1572, p.633b.

¹⁰⁶ F. FERRARIENSIS DE SYLVESTRIS, OP, *Commentaria in libros quatuor Contra Gentiles S. Thomae de Aquino*, l.3, c.139 ad 3, considerandum 2 : ed. Operum vol.3 (Roma 1900), p.802.

¹⁰⁷ P. DE SOTO, *De institutione sacerdotum*, De discrimine peccatorum, lect.6 : e.c., f.346-348. No hemos encontrado la afirmación explícita que el venial sea analógicamente pecado

¹⁰⁸ R. BELLARMINUS, *De controversiis christianae fidei...*, Contr.2, l.1, c.11, 5 arg.: (Ingolstad 1593), t.3, col.107s.

¹⁰⁹ F. SUÁREZ, SI. No hemos podido encontrar esta cita en el pasaje indicado por Ruiz de Montoya; sí en *Tractatus de vitiis et peccatis*, disp.2, sect.5, n.7s : ed. Vivès, t.4 (Paris 1856), p.530s.

unus conceptus abstractus qui totus et simpliciter sit in accidente et totus in substantia, et similiter potest abstrahi aliqua ratio communis peccati, quae tota simpliciter reperiatur in veniali, ut si consideres privationem rectitudinis abstrahendo ab hoc quod simpliciter vel secundum quid debeat.

2^{um}: *Hic conceptus peccati est analogus respectu mortalis et venialis ratione transcendentiae, quia differentia peccati mortalis et venialis non potest ita praescindi ut intelligatur non intellecta privatione debitae rectitudinis. Hic posset contendere quispiam, considerari posse quandam rationem completam peccati ut dicit privationem debitae rectitudinis, quae ratio completa non includatur in ultimis differentiis venialis et mortalis, et ideo sit univoca, sicut abstrahitur quaedam ratio completa substantiae, quae non includatur in differentiis ultimis specierum substantialium. Sed haec impedita sunt dialecticis argumentis sine fructu theologico.*

3^{um}: *Analogia vero quae propria theologiae est in praesenti et quam praecipue intendunt doctores citati est analogia attributionis, in qua peccati ratio convenit intrinsece et essentialiter mortali tantum, quia in hac analogia peccati nomen accipitur pro illa actione quae personam avertit a fine ultimo et tollit amicitiam violatque praeceptum, et haec ratio peccati in mortali reperitur formaliter, sed in veniali sola denominatione extrinseca; et ratio huius denominationis et attributionis est 1^a quia veniale disponit ad mortale, 2^a quia simile est mortali aliquomodo, nam in genere avertendi personam et violandi amicitiam et praeceptum, veniale est quaedam inchoatio.*

Dubitatur 15:

Utrum aliquod peccatum veniale possit in eadem specie convenire cum mortali

[f.111v] NEGAT Alexander, 2 p, q.124, mem 3 sub fine¹¹⁰ et Aureolus apud Caietanum, supra q. 72, a.5¹¹¹, et ex professo Navarrus, *Praeludium* 9, n.6¹¹², et obiter Vega, 14 *In Tridentinum*, cap.11¹¹³.

FAVENT D. Thomas et alii doctores qui in praecedenti dubio dicunt peccatum esse analogum respectu mortalis et venialis.

Unde sumitur 1^{um} argumentum, nam peccatum mortale et veniale ita se habent ad rationem peccati sicut substantia et accidens ad rationem entis; sed substantia et accidens non possunt esse eiusdem speciei; ergo peccatum mortale et veniale non possunt esse eiusdem speciei. CONFIRMATUR ex D. Thoma, q.88, a.4, fine¹¹⁴, dicente veniale peccatum esse dispositionem genere diversam a mortali, sicut accidens distinguitur a forma substantiali. 2^o, ARGUIT Aureolus, quia peccata speciem sortiuntur ex aversione; sed peccatum mortale continet aversionem a Deo simpliciter, non vero veniale; ergo distinguuntur specie. 3^o, ARGUIT

¹¹⁰ ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, l.2, 2 p., inq.3, tr.1, sect.1, q.1, c.3: t.3 (Quaracchi 1930), p.287.

¹¹¹ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summa S. Thomae Aquinatis*, 1^a 2^{ae}, q.72, a.5 : ed. leon., 7, 18, IV.

¹¹² M. DE AZPILCUETA, [DOCTOR NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et paenitentium*. No hemos podido encontrar esta afirmación en el Doctor Navarro en todo este Praeludio 9 ni tampoco en el pasaje del Praeludium 7, n. 11.

¹¹³ A. VEGA, *De iustificatione doctrina universa...*, l.14, c.11. Tampoco hemos podido verificar esta cita de Vega.

¹¹⁴ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.88, a.4 fine : ed. leon., 7 137b.

Navarrus, quia circumstantiae habentes peculiarem rationem conformitatis aut difformitatis cum ratione variant speciem peccati, ut ex D. Thoma et communiter doctoribus dictum est supra, q.18, a.10, dubio 1, conclusione 2¹¹⁵; sed circumstantia haec amittendi gratiam et gloriam, violandi amicitiam, etc., reperitur in omni peccato mortali et non in veniali, et habet peculiarissimam rationem deformitatis a ratione; ergo mutat speciem. CONFIRMAT Navarrus interim solvens fundamentum D. Thomae, nam licet reatus poenae et amissio gratiae consequatur peccatum mortale, nihilominus causare possunt distinctionem specificam in actu in quantum praevisae et praevolitae sunt in actu, sicut eventus homicidii sequutus ex incauto ludo mutat speciem actus si praevisus fuit et praevolitus. 4^o PROBARI posset argumento adducendo pro conclusione 3^a.

Nihilominus 2^a SENTENTIA, D. Thomae, q.72, a.5 ad 1 et 2¹¹⁶, et hac q.88, a.2¹¹⁷, ubi Conradus¹¹⁸ et Caietanus¹¹⁹; Richardus 4, d.16, a.2, q.2¹²⁰; Valentia, 1^a2^{ae}, disp.6, q.18, puncto 2¹²¹, et Medina hic¹²², cui valde favent aliqui doctores citandi infra, a.4, dubio 1. Haec inquam sententia duas propositiones continet:

¹¹⁵ No conocemos este comentario.

¹¹⁶ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1a 2^{ae}, q.72, a.5 ad 1 et 2 : ed. leon., 7, 18b.

¹¹⁷ ID., *Ibid.*, 2^a 2^{ae}, q.88, a.2 : ed. leon., 7, 135.

¹¹⁸ CONRADUS KOELLIN, OP, *Expositio Commentaria... in Primam Secundae... S. Thomae Aquinatis*, q.88, a.2: Venecia 1589, p.701a.

¹¹⁹ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summa S. Thomae*, 1^a 2^{ae}, q.72, a.5 : ed. leonina, 7, 18.

¹²⁰ RICARDUS A MADIIVILLA, *Super quarto Sententiarum*, d.16, a.2, q.2 : Venecia, 1499, f.104ra.

¹²¹ G. DE VALENCIA, SI, *Commentariorum theologiarum, t. secundus*, in 1^{am} 2^{ae}, disp.6, q.18, puncto 2 : Lyon 1603, col.713s.

¹²² B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae...*, q.88, a.2 : Venecia 1602, p.465b.

1^a: aliud est *veniale ex genere, ut mendacium et verbum otiosum, et huiusmodi veniale semper differt specie a mortali ex genere, quia semper habet diversa obiecta a quibus sumitur species peccatorum. De hac propositione nulla est difficultas.*

2^a: *illud peccatum quod veniale est solum ex circumstantia, scilicet ex indeliberatione vel parvitate materiae, eiusdem speciei est cum peccato mortali, sicut infidelitas secundum quid deliberata est eiusdem speciei cum peccato mortali infidelitatis, et furtum rei levis cum furto rei gravis (et quamvis huius oppositum videatur dicere D. Thomas, infra, a.6 in fine corp.¹²³, nihilominus explicabitur infra conclusione 3; et eadem ratione peccatum quod est veniale ex genere potest fieri mortale ex circumstantia, ut si verbum otiosum proferatur propter adulterium vel si ex con[f.112] temptu Dei vel constituendo finem in cibo nimium comedas. PROBAT D. Thomas quia species et distinctio peccatorum sumitur ab obiectis, in q.72, a.1¹²⁴, et in iis actibus sunt eadem obiecta. Sed legendus erit D. Thomas in a.5 huius quaestionis¹²⁵ et Caietanus¹²⁶, ut constet hanc sententiam explicandam esse et temperandam. Recole ex a.1, q.18, duplicem esse speciem actus moralis, aliam physicam, aliam vero pure moralem, ut late explicatum est q.18, a.5, dub.1.*

DICO 1^o: *aliqua species pure moralis potest esse eadem omnino in peccato mortali et veniali in casibus nuper relatis; ex D. Thoma. PROBATUR, quia aliqua species pure moralis sumitur ab obiecto materiali independenter ab obiecto formali et ab appretiatione illius. Unde si decernas occidere ut fureris, habebit hoc decretum speciem moralem homicidii, quamvis eius obiectum formale sit utilitas furti. Praeter hoc nihil aliud intendit D. Thomas citatus, ut bene docet quamvis sub aliis verbis Caietanus, infra,*

¹²³ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.88, a.6 : ed. leon., 7, 340a.

¹²⁴ ID., *Ibid.*, q.72, a.1 : ed. leon., 7, 12.

¹²⁵ ID., *Ibid.* a.5 : ed. leon., 7 17s.

¹²⁶ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summa S. Thomae*, ib.: ib. 7 18.

a.5¹²⁷. Et ratione colligitur, quia verbum otiosum prolatum propter adulterium, apud D. Thomam est peccatum mortale eiusdem speciei cum veniali verbo otioso; constat autem esse omnino contra mentem D. Thomae¹²⁸ et Aristotelis manere eandem speciem physicam actus mutato fine; quare, D. Thomas tantum intendit manere eandem speciem moralem sumptam ab immediato obiecto, et hic modus loquendi frequens est apud D. Thoma, 1^a 2^{ae} et 2^a 2^{ae}. Vidimus eius exemplum supra, q.18, a.8 et 9. Advertendum tamen est numquam eam moralem speciem, quae antea erat in veniali, fieri mortalem, sed eadem species manens quod ex se est venialis, coniungitur cum alia specie peccati mortalis.

DICO 2^o: *Peccatum quod est veniale ex defectu libertatis erit eiusdem speciei physicae cum mortali tunc solummodo quando ille actus explicite vel implicite anteponit creaturam Deo vel eius amicitiae*, quod contingere potest si quis explicite vel implicite consideret tali actu amitti Dei amicitiam et graviter offendi Deum, et nihilominus eliciat actum sine plena libertate quae requiritur ad mortale, quod potest contingere in motibus secundo primis et in pueris ante plenum usum rationis aut in aliis hominibus qui ratione infirmitatis aut ebrietatis aut passionis vehementis non habent plenam libertatem requisitam ad mortale, habent tamen aliquam sufficientem ad veniale.

PROBATUR conclusio, quia talis actus potest habere idem prorsus obiectum formale et materiale et eandem [f.112v] appreciationem quam peccatum mortale habet; ergo erit eiusdem speciei physicae. CONFIRMATUR 1^o, quia actus bonus sive malus potest esse eiusdem speciei physicae in amente et in homine libero, ut alibi dictum est; finge ergo, retinenti talem actum paulatim restitui sanitatem mentis ita ut actus qui antea nullo modo erat imputabilis, postea sit secundum quid imputabilis, et postea simpliciter imputabilis; tunc actus non solum physica specie idem, sed etiam numero, erat prius venialis et postea mortalis. CONFIRMATUR 2^o,

¹²⁷ ID., *Ibid.*, q.88, a.5 : ed. leon., 7, 139.

¹²⁸ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.88, a.2c : ed. leon., 7, 135b.

quia tale peccatum non est veniale defectu alicuius rei quae poterat esse intrinseca actui, sed defectu solius libertatis, quae est mera denominatio extrinseca; ergo actus erit eiusdem speciei physicae. Hinc sequitur ea omnia quae conveniunt peccato mortali ratione actus praecisa imputabilitate reperiri similiter in hoc peccato veniali; scilicet antepone re creaturam creatori, constituere ultimum finem in creatura quantum est ex entitate et modo tendendi actus, sufficere ut personam avertat a Deo si libertas adsit; verumtamen quia tota haec deformitas imputatur tantum secundum quid, ideo non denominat subiectum moraliter loquendo nec meretur spoliationem gratiae et poenam aeternam.

DICO 3^o: *Hoc idem peccatum cui sola plenitudo libertatis deficit ut mortale sit, adhuc in esse moris est diversae vel quasi diversae speciei, quia est alio modo imputabilis.* Ita docet D. Thomas, infra, a.6 huius quaestionis 88 in fine corporis¹²⁹ et explicat bene Caietanus ibi¹³⁰. Sed adverte hanc speciem non esse realem sed rationis tantum, quia variatur ex sola varietate libertatis, quae est denominatio extrinseca.

DICO 4^o: *Reliqua omnia peccata venialia differunt specie physica a quocumque mortali.* PROBATUR efficaciter, quia reliqua omnia peccata venialia habent semper diversam appretiationem finis intenti, quia licet ament aliquam creaturam, creaturam illam non anteponunt Deo; at vero quodvis mortale tali appretiatione creaturam amat, ut illam anteponat Deo, modo dicto dubio 1^o; atqui diversitas appretiationis variat speciem physicam actus. Maior explicatur in iis generibus venialium quae a thomistis dicuntur esse eiusdem speciei cum mortali; primo enim, decretum furandi unum quadrantem non anteponit pecuniam Deo, licet in[f.113]ordinate amet pecuniam infra Deum, ut dictum est dub. 10 et 11, et propter hanc appretiationem differt specie physica a decreto furandi centum aureos, quod pecuniam anteponit Deo,

¹²⁹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.88, a.6c : ed. leon., 7 340a.

¹³⁰ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summa S. Thomae Aquinatis*, Ibid.: Ibid 7 340.

unde solvitur praecipuum fundamentum Richardi. Similiter consensus formalis vel interpretativus in delectationem turpem, antequam homo adverteret esse contra Dei legem, cum tamen habuisset potentiam aliquam et levem obligationem advertendi, etiam tunc talis consensus erit veniale peccatum, et tamen, quia non anteponit creaturam Creatori erit speciei physicae diversae a consensu qui datur postquam homo animadvertit illam delectationem esse contra legem Dei. Insuper voluntas dicendi verbum otiosum sine alio ulteriore fine differt specie physica a voluntate dicendi verbum otiosum propter adulterium, quia finis qui est obiectum formale est specie diversus, et appretiatio etiam diversa. Denique quodlibet opus quod ex se non haberet malitiam nisi tantum venialem, si fiat ex conscientia erronea existimante esse mortaliter malum, esset actus interior diversae speciei physicae propter diversam appretiationem.

Circa minorem principalis argumenti, quod diversitas appretiationis mutet speciem physicam volitionum, explicatur et PROBATUR sic: omnes actus intellectus et voluntatis speciem accipiunt ab obiecto formali, non utcumque sed secundum modum tendendi proportionatum aut improportionatum cum obiecto: exemplum est si eadem principia ex se ipsis evidentia et quae per evidentem consequentiam inferunt conclusionem, proponantur duobus hominibus et ab altero cognoscantur evidenter, ab alio cognoscantur probabiliter: alter habebit scientiam conclusionis, alter vero habebit opinionem specie diversam a scientia; et quamvis utrique motivum assentiendi et obiectum formale fuerint principia et illatio eadem ex parte obiecti, nihilominus quia alter proportionato modo cognovit illa ut digna erant, scilicet evidenter, alter vero tantum probabiliter, ideo habent assensus specie diversos. Rursus, sicut modus tendendi maxime pertinens ad differentiam per se intellectionis est evidentia et certitudo, quia per se contrahunt rationem assensus et iudicii et veri; sicut etiam respectu actuum voluntatis non potest excogitari modus tendendi magis pertinens ad differentias per se volitionum quam appretiatio anteponendo aut postponendo, quia omnis volitio essentialiter est amor boni, ut alibi demonstratur, et in ratione amoris boni acci-

dentale quid est intensio amoris, sustantiale vero et per se est appretiatio [f.113v] ratione cuius unum bonum anteponitur aliis, quia haec appretiatio est quae directe respondet meritis et dignitati boni, sicut evidentia et certitudo respondent meritis veri.

Sed OBIICIENS 1^o: si propter eandem rationem boni hodie ames Petrum maiori appretiatione quam Paulum, et crastina die, propter idem motivum ames Paulum maiori appretiatione quam Petrum, erunt amores eiusdem speciei et tamen diversam habent appretiationem; ergo diversitas appretiationis non variat speciem. CONFIRMATUR 1^o, quia si propter Francisci auctoritatem hodie affirmes aliquid et crastina die propter eandem auctoritatem Francisci neges eandem propositionem, illa iudicia intellectus erunt eiusdem speciei, et tamen habent diversam appretiationem, siquidem quando negas propter auctoritatem Francisci illam anteponis rationibus quae probant esse affirmandum.

RESPONDEO: hoc argumentum probat non causari diversitatem specificam propter diversitatem appretiationis in solo obiecto materiali quae non refundit diversitatem in appretiationem obiecti formalis, quod verum est et nostrae doctrinae valde consonum. Et hoc constat utroque exemplo argumenti, nam Petrus et Paulus sunt obiecta materialia si semper amantur propter eandem rationem boni, sive quando Petrus anteponitur sive quando postponitur. Propterea propositio quae affirmatur aut negatur et rationes illius quae propter auctoritatem Francisci contemnuntur, semper sunt obiectum materiale si semper affirmatur aut negatur propositio propter eandem auctoritatem Francisci. Et similiter, quamvis propter utilitatem pecuniae hodie velis furari triticum potius quam oleum, et crastina die velis furari oleum potius quam triticum, erit eadem species physica actus licet cum diversa appretiatione obiecti materialis, et eadem proportione in virtute dicendum est, ut si propter finem misericordiae hodie velis panem quaerere egentibus potius quam inservire infirmis, et crastina die propter eundem finem velis inservire infirmis potius quam panem quaerere, erit eadem species actionis bonae quamvis diversa sit appretiatio obiectorum materialium.

Denique ut speciem tribuit obiectum formale et non obiectum materiale, ita speciem mutat, non varia appretiatio obiecti materialis; sed varia appretiatio obiecti formalis, et hoc est fundamentum nostrae conclusionis.

[f.114] 2^o. Rursus INSTARE poteris esse diversitatem in appretiatione obiecti formalis quando unus pecuniam amat usque ad contemnendam iustitiam tantum, et alius usque ad contemnendam religionem aut fidem, et alius usque ad contemnendum suum honorem quem antea pluris aestimabat quam pecuniam, et tamen istae appretiaciones non variant speciem physicam actionis; ergo diversitas in appretiatione obiecti formalis non causat diversitatem specificam.

RESPONDEO. Istae appretiaciones non mutant speciem, quia sunt diversae intra rationem appretiationis indebitae, et haec diversitas non variat speciem; sicut in intellectu si quispiam propter rationem improbabilem assentiatur alicui propositioni falsae non variabit speciem actus, sive propter illam rationem contemnat unam tantum aut duas aut tres rationes in contrarium adductas vel auctoritatem sapientum, quia totum illud est intra latitudinem improportionatae adhaesionis et determinationis iudicii; nos autem illam diversitatem modi tendendi et appretiationis diximus variare speciem quae ratio est ut actus tendat modo debito et proportionato vel e contra modo improportionato et indebito, ut de intellectu et voluntate constat exemplis superius adductis.

Si autem PETAS quare discrimen proportionati et improportionati modi tendendi mutet speciem potius quam aliud, RESPONDEO, quia quando actus tendit in obiectum formale modo proportionato et debito, coaptat se ut ab illo recipiat speciem quam illud obiectum ex se potest tribuere, alioquin hanc speciem impedit, ac proinde habet aliam.

Sed OBICIES 3^o, quia peccatum veniale et mortale intra latitudinem indebitae appretiationis distinguuntur; ergo illae appretiaciones non causabunt distinctionem specificam. RESPONDEO

antecedens absolute esse falsum, sicut absolute est verum in actione peccati venialis creaturam non anteponi Deo (loquor de veniali ex genere aut ex parvitate materiae, ut in conclusione 4); quare potius distinguuntur ut appretiatio secundum quid indebita et appretiatio simpliciter indebita, cuius diversitatis exemplum esse possunt duo iudicia intellectus quorum alterum propter aliquam rationem probabilem determinatur ad falsum contra aliam rationem magis probabilem, et alterum iudicium propter idem motivum determinetur ad eandem falsitatem quamvis illa impugnetur ratione demonstrativa et evidenti, quod genus erroris erit specie diversum ab altero, quia prius iudicium non est simpliciter error, sed secundum quid, quia modus adhaerendi objecto falso est secundum quid [f.114v] indebitus, quia est contra rationem probabilem; at vero secundum iudicium est error absolute ex essentiali modo adhaesionis ad objectum contemnendo demonstrationem contrariam.

OBIICIENS 4^o, quia D. Thomas supra, q.18, a.11c¹³¹, ait tollere alienum in magna vel parva quantitate non variare speciem. RESPONDEO ex ipso textu constare parvam quantitatem ibi accipi eam quae intra latitudinem mortalis furti parva est, nam dicit hoc non mutare speciem quia non habet specialem repugnantiam cum ratione, sed illam superponit; atqui tam parvam quantitatem furari ut reputetur pro nihilo et sit veniale, non continet simpliciter repugnantiam cum ratione. Et haec repugnantia advenit quando advenit quantitas sufficiens ad mortale; vide contextum. Adde D. Thomam ibi agere de entitate morali potius quam de entitate physica, et constat in esse moris esse diversae speciei veniale et mortale furtum.

Ad argumenta in principio proposita RESPONDEO ad 1^{um}: satis constat ex conclusione 3 et 4 in omni peccato veniali esse distinctionem specificam a mortali, aut secundum speciem physicam aut solum secundum speciem moralem, et respectu illius erit analogia in ratione peccati. Distinctionem specificam appello nihil curando utrum sit quasi inter species contentas sub eodem genere vel ea

¹³¹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.18, a.11c : ed.leon., 6 139.

distinctio specifica quae reperitur inter omnia quae non sunt eiusdem speciei, ut inter substantiam et accidens. Hinc constat solutio confirmationis.

Ad 2^{um} RESPONDEO: peccata, quoad formale peccati, distinguuntur penes aversiones, quae non sunt eiusdem speciei in peccato mortali et veniali, sed in infinitum distant, ut docet D. Thomas supra, q.72, a.5 ad 1¹³²; at vero quoad monstruositatem positivam, de qua loquuti sumus hucusque, peccata distinguuntur per positivas conversiones, ut in q.72, a.1¹³³.

Ad 3^{um}, cum confirmatione, RESPONDEO: concludit in quolibet peccato mortali esse aliquam speciem moralem diversam a quolibet peccato veniali, et nihilominus, licet una species moralis actus sit eadem, possunt aliae species morales et species physicae esse diversae, ut si Petrus vult occidere in loco sacro ad furandum, et Paulus vult occidere extra locum sacrum ut committat adulterium, in his duobus peccatis eadem est species moralis homicidii, et sunt diversae species physicae et diversa species moralis sacri-legii, de quo vide ubi de circumstantiis, loco citato et infra, q.72.

[f.115]

Dubitatur 16:

Quibus notis discernenda sint peccata venialia a mortalibus

D. Augustinus, 21 *De Civitate*, cap. ult. prope finem ait difficillimum esse invenire et periculosissimum definire. «Ego –inquit– certe usque ad hoc tempus, cum inde sat agerem ad eorum indaginem pervenire non potui, et fortasse propterea latent,

¹³² THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.72, a.5 ad 1 : ed.leon., 7 18b.

¹³³ ID., *Ibib.*, q.72, a.1 : ed. leon., 7 12.

ne studium proficiendi ad omnia peccata vitanda pigrescat»¹³⁴. Nam ut postea explicat, ad fugiendas culpas omnes incitāmur metu ne aliquo mortali inter illas latente amittamus gratiam et gloriam.

Hanc D. Augustini sententiam sic debemus accipere ut nulla tam comperta et utilis nota assignari possit ut illa possimus certo discernere omnia venialia ab omnibus mortalibus. Nihilominus quibusdam regulis discernimus multa venialia a mortalibus, de quo D. Antoninus, 3 p, tit.17, cap.18¹³⁵; Gabriel, 4, d.15, q.13, a.2¹³⁶; Summistae, verbo *peccatum*, ubi Sylvestrina, n^o 3¹³⁷; Castro, 1^o *De lege poenali*, cap.5¹³⁸; Vega, 14 *In Tridentinum*, cap.12¹³⁹; Navarrus, *Praeludium* 9, n^o 7¹⁴⁰; Valentia, 1^a 2^{ae}, disp. 6, q.18, puncto 3¹⁴¹.

1^a REGULA: *quod peccatum sit mortale ex genere colligi potest primo ex gravitate verborum quibus Sacra Scriptura prohibetur*, ut cum dicitur dignum morte aut excludere regno Dei aut esse abominabile, ut constat Ad Romanos 1 [32], Gal. 5 [21], Ezechiel 18 [13]; cum vero mitioribus verbis utitur Sacra Scriptura signum est venialem esse culpam, ut cum de scurrilitate ait Paulus [Ephes. 5 4] ad rem non pertinere. Eodem modo colligi potest ex vi et significatione usitata verborum quibus aliqua prohibentur humanis praeceptis aut legibus, et gravitate poenae et gravitate rei praecep-

¹³⁴ AUGUSTINUS, *De Civitate Dei libri XXII*, l.21, c.ult.: CCL 48 804; PL 41 750.

¹³⁵ ANTONINUS, *Summa*, 3 p., tit.17, c.18 : Lyon 1529, 159v-160r.

¹³⁶ GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, l.4, d.15, q.13, [a.1] : Editio Tubinga, t.IV/2, p.297-305.

¹³⁷ SYLVESTER PRIERAS, *Summa summarum*, v. peccatum, n.3 : Lyon 1553, t.2, 280a.

¹³⁸ ALFONSO DE CASTRO, *De potestate legis poenalis*, l.1, c.5 : Lyon 1556, 70-99.

¹³⁹ A. VEGA, *De iustificatione doctrina universa*, l.14, c.12 : Colonia 1572, 630ss.

¹⁴⁰ M. DE AZPILCUETA, [DOCTOR NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et paenitentium*, Praeludium 9, n^o 7 : Venecia 1584, p.56.

¹⁴¹ G. DE VALENCIA, *Commentariorum theologorum*, (in 1^{am} 2^{ae}) disp.6, q.18, puncto 3 : Lyon 1603, col.715s.

tae et illius necessitatis ad finem legis, ut satis explicui ubi de voto obedientiae, dubio 6¹⁴². Hoc enim aut est illius loci aut materiae de legibus. Praeterea, etiam ex Traditione et auctoritate sapientum quae plurimum valet in rebus moralibus. Insuper aliquid esse mortale colligitur ex magna necessitate virtutis cui opponitur ad servandam charitatem erga Deum et seipsum et proximos; si vero virtus illa non sit valde necessaria vel non laedatur notabiliter per tale genus actionis, erit veniale ex genere.

[f.115v] 2^a REGULA: si constiterit actum fuisse circa materiam ex genere mortalem, quaerendum restat *utrum parvitas materiae excuset a mortali*, in qua re duo advertenda sunt: 1^{um} eam vim esse in parvitate materiae ut omnia peccata quae sunt mortalia ex genere suo fierent venialia si in illis reperiretur parvitas materiae; sunt tamen quaedam genera peccatorum in quibus reperiri non potest parvitas materiae, ac proinde hoc titulo numquam redduntur venialia, ut sunt illa quae directe et immediate versantur contra Deum, ut odium et contemptus Dei et infidelitas, ut late explicatum est a me ubi de voto, a.3, sec.2, dub.2¹⁴³. 2^{um} est non esse pensandam solummodo quantitatem materiae in se sumptae sed etiam proportionem illius cum persona operante et cum persona quae iniuriam recipit, cum gravitate aut necessitate praecepti violati et cum aliis circumstantiis ad arbitrium boni viri, ut latius explicui a.3, de voto, sec.2, dub.3¹⁴⁴.

3^a regula: *difficillimum est cognoscere quod peccatum sit veniale solo libertatis defectu, sed iuvare poterunt duo indicia*: 1^{um}, si quis habuit actum voluntatis malum, veluti complacentiam aut desiderium homicidii, et paulo post, cum primum venit in mentem illud esse contra Dei legem, protinus curavit illud expellere ab animo, signum probabile est prius non fuisse actum plene deliberatum, sed semiplene aut nullo modo deliberatum; si

¹⁴² No ha llegado a nosotros el tratado de Ruiz de Montoya *De voto*. Véase nota 25.

¹⁴³ Véase la nota anterior.

¹⁴⁴ Véase la nota 142.

vero postquam animadvertit illum actum esse contra Dei legem, nihil adhuc curavit de illo excludendo, sed perseveravit in illo, certum erit esse mortale, si homo alias fuerit sanae mentis.

2^{um}, qui dubitat utrum dormiens aut vigilans hoc fecerit, eo ipso videtur habere non leve indicium quod non plene vigilaverit tunc, quia plena vigilia reddit hominem certum sui, quia permittit liberorem esse mentem et evidentiolem cognitionem circa omnia, etiam circa vigiliam; at vero quando partim ligata est cognitio, nec seipsam potest nec alia recte cognoscere, unde ille credere debet aut nullam aut levem culpam tunc commisisse. Idem forte dici potest de eo qui dubitaret utrum liber vel captus ebrietate aut fre[f.116]nesi aut alia infirmitate fecerit vel dixerit.

Denique advertendum est, quibusdam videri ea quae sunt venialia ex genere aut parvitate materiae, nullam culpam continere si non habeant deliberationem tantam quanta ad mortale requiritur. Hoc tamen falsum est, nam quamvis habeant solum deliberationem secundum quid, mendacium erit secundum quid imputabile, atque adeo erit culpa, quamvis secundum quid et multo levior quam si esset plene deliberata.

Dubitatur 17:

Utrum possibile sit aliquod peccatum quod nec mortale sit nec veniale

Duo sunt capita huius quaestionis: 1^{um}, si crearentur homines in puris naturalibus et nullam poenam Deus decerneret contra peccata, utrum peccata horum hominum essent mortalia aut venialia.

Nec mortalia esse nec venialia docent Martinus in materia de martyrio et Durandus, quos refert et videtur sequi Almainus, 3

Moralium, cap.15, prope initium¹⁴⁵. Huius sententiae praecipuum fundamentum est peccatum mortale non distingui a veniali nisi per extrinsecam deputationem ad poenam; sed huius fundamenti falsitas constat satis ex iis quae diximus supra, dubio 9.

Sit ergo CONCLUSIO: *si homines crearentur in puris naturalibus, quamvis nulla poena affiendi essent post peccata, tunc peccarent mortaliter cum grave aliquid committerent contra legem divinam, et tunc venialiter quando secundum quid violarent divinam legem, modo explicato tota hac disputatione, et propter illa mortalia digna fuissent aeterna poena, quamvis Deus decrevisset illam non infligere; qua poena non essent digni propter venialia.*

2^{um} et difficilium est de illo homine qui ante usum rationis accepit gratiam per baptismum, et postea ignorat invincibiliter Deum esse, aut saltem invincibiliter ignorat Deum curare de nostris actionibus et offendi nostris defectibus, et tamen scit homicidium v.gr. esse contra rectam rationem, utrum huius hominis homicidium sit peccatum mortale aut veniale. Videtur neutrum [f.116v] peccatum esse.

Et 1^o non esse veniale colligitur ex gravitate mali quod continet homicidium; deinde non esse peccatum mortale PROBATUR 1^o, quia si esset mortale amitteret ille homo gratiam quam accepit in baptismo; sed non amittit, quia gratia Dei non debet amitti nisi propter iniuriam irrogatam Deo; sed iste homo nullam iniuriam irrogat Deo; ergo. CONFIRMATUR 1^o quia iste homo non avertitur a Deo, sed solum a ratione recta; ergo non amittit Dei amicitiam. 2^o arguitur quia hic actus non est contrarius actui charitatis; ergo non est dignus ut propter illum amittatur charitas et gratia. Consequentia PROBATUR quia virtutes infusae, quamvis non expellantur nisi demeritorie, verumtamen non expelluntur nisi per actus contrarios. Antecedens autem PROBATUR quia ille homo non vult aliquid contrarium Deo aut legi divinae, et

¹⁴⁵ J. ALMAIN, *Aurea opuscula*, *Moralia*, tr.3, c.15 : Paris 1518, f.67.

posset simul in eodem instanti Deum antepone omnibus rebus; ergo ille actus non est contrarius charitati. 3^o quia omne peccatum mortale est malum gravius quolibet veniali; sed homicidium huius hominis est minus malum quam iocosum mendacium in nobis; ergo non est peccatum mortale. Minor PROBATUR, quia iocosum mendacium in nobis est vere offensa Dei, quamvis secundum quid, ac proinde est in altiori ordine mali quam sit illud homicidium quod nullo modo est contra Deum, sed tantum contra rationem rectam.

Nihilominus sit 1^a CONCLUSIO: *praedictum homicidium non habet integram et completam rationem peccati mortalis.* PROBATUR, quia ut dictum est in q.71, a.6, dub.6¹⁴⁶, hoc homicidium non habet integram, sed tantum diminutam rationem peccati moralis, quia non est contra Deum et eius legem, sed tantum contra humanam rationem, ignorata auctoritate quam humana ratio habet a Deo; ergo non habebit integram et completam rationem peccati mortalis; nam peccatum mortale illud est in quo simpliciter reperitur ratio peccati, ut in praecedentibus dubiis constat.

2^a CONCLUSIO: *idem homicidium est incomplete peccatum mortale*, quia sicut habet quandam rationem diminutam peccati ex eo quod sit aliquid contrarium rationi rectae, ita etiam habet rationem diminutam peccati mortalis ex eo quod in suo genere est aliquid grave et habens absolute contrarietatem cum ratione; constat enim ex superioribus dubiis peccatum mortale differre a veniali ut grave a levi et ut simpliciter tale a secundum quid tali.

3^a CONCLUSIO: *Idem homicidium esset sufficiens et redderet hominem dignum amissione gratiae et gloriae, et aeterna poena ac proinde, quoad effectum inducendi mortem animae, absolute foret peccatum mortale.* Haec conclusio, licet de illa diu

¹⁴⁶ D. RUIZ DE MONTOYA, *Commentarii in materiam de peccatis*, In 1^{am} 2^{ae}, q.71, a.6, dub.6 : Véase ArchTeolGran 2 (1939) 280-287.

multumque dubitaverim, tandem visa est probabilior. Et quod illud homicidium dignum sit ut propter illud homo spoliatur gratia, PROBATUR quia sicut non potest esse gratia nisi supponatur existere entitatem naturalem hominis in quo est, ita non est congruum existere gratiam nisi in natura quae bene ordinata sit intra ordinem naturalem quoad ea quae libera sunt illi; at vero ille homo ratione illius homicidii, monstruosus est in ordine naturali et imputabiliter [sic] sua libertate; ergo non est congruum manere in gratia. CONFIRMATUR 1^o, quia gratia eminentiori quodam modo tribuit animae non solum rectitudinem supernaturalem in ordine ad Deum, sed etiam rectitudinem naturalem auferendo omnem obliquitatem imputabilem; hic autem homo dignus est ut illi imputetur obliquitas naturalis; ergo dignus est spoliari gratia. CONFIRMATUR 2^o, quia quamvis hic homo non inferat iniuriam Deo formaliter, nihilominus vere infert iniuriam naturae, cuius auctor et protector est Deus, et conculcat leges a Deo sancitas, quamvis legislatorem ignoret; ergo indignus est ut maneat quasi filius et amicus Dei.

Quod attinet ad aeternam poenam facile colligitur ex dictis quia, ut dicitur in q.87, a.3 vel 5¹⁴⁷, in peccato mortali poena ideo est aeterna quia ablatum est principium satisfaciendi, quod est gratia, unde si hoc homicidium dignus est amissione gratiae, dignum est etiam aeterna poena.

Ad 1^{um} argumentum RESPONDEO negando antecedens: gratia enim amitti potest etiam si non committatur iniuria formaliter contra Deum, dummodo contra rationem committatur, idque propter rationes adductas pro conclusione 3^a.

Ad 2^{um} RESPONDEO: distingo antecedens, nam illud homicidium non est contrarium charitati directe et formaliter sed quasi ex consequenti, quia destruit unum ex fundamentis praesuppositis ad charitatem, scilicet rectitudinem naturalem hominis, et ideo meretur amittere [f.117v] gratiam, ut explicatum est in

¹⁴⁷ En los dos artículos, corpore, lo dice Sto. Tomás.

conclusionem 3^a; et quamvis cum eiusmodi actu non repugnet physice actus charitatis, non probatur[?] permanere charitatem cum illo, nam etiam cum peccato mortali ex ignorantia culpabili non habet physicam repugnantiam actus charitatis, et tamen excludit moraliter charitatem ab anima, ut supra, q.71, a.4, dub. 1 et 2¹⁴⁸.

Ad 3^{um}: nego minorem, et ad probationem RESPONDEO: id quod est in altiori ordine, si non pertinet ad illum simpliciter sed secundum quid, aliquando est minus perfectum in superiori genere quam quod est inferioris ordinis; sicque quamvis offensa Dei sit altioris ordinis quolibet malo quod est praecise contra rationem, nihilominus culpa venialis, quae secundum quid est contra Deum et non simpliciter, non est tam mala ut praedictum homicidium contra rationem et non contra Deum commissum; sic enim quamvis sint altioris ordinis peccata contra virtutes supernaturales, nihilominus veniale peccatum contra illas non habet tantam malitiam quantam habet quodlibet peccatum mortale in homine ignorante invincibiliter omnem ordinem supranaturalem.

Ex dictis RESPONDEO ad quaestionis titulum negative, quia omne peccatum possibile est mortale aut veniale eo modo quo est peccatum, scilicet quod est plene et integre peccatum erit plene et integre mortale aut veniale, si vero est peccatum tantum quoad oppositionem contra rationem et non quoad iniuriam Dei, erit suo modo mortale ut in 2^a et 3^a conclusionem probatum est; sin minus erit veniale. Huius conclusionis ratio est quia duo genera peccatorum quae diximus sunt quae maxime videbantur distare a culpa mortali aut veniali, et illa vere comprehenduntur; ergo a fortiori reliqua omnia.

¹⁴⁸ D. RUIZ DE MONTOYA, *Commentarii in materiam de peccatis*, In 1^{am} 2^{ac}, q.71, a.4, dub.1 y 2 : Véase ArchTeolGran 49 (1986) 302-311.